

Mala & persecutiones, quae Apostolis imminerent, praedicit.

Prosecutus est narrans, quae ipsos manerent toleranda mala, ne scilicet in errorem sive infidelitatem prolabi ipsos contingeret. Praenunciavit itaque, extorres de Synagogis faciendos, & neci tradendos, qua in re religionis suae in Deum specimen exhibituros se homines crederent. Et haec facient vobis, inquit, quia non noverunt Patrem neque me. Sed haec loquutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Dixit redire se ad eum, a quo missus esset; nemo autem interrogat me: Quid vadis: sed tristitia implevit cor vestrum. Scirent tamen, e re ipsorum esse, ut iret; nunquam enim alioqui super illos Spiritum Paracletem venturum. Et cum venerit ille, adjecit, arguet mundum de peccato, de justitia & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de justitia vero, quia vado ad Patrem, & jam non videbitis me; de judicio autem, quia Princeps hujus mundi jam judicatus est (n).

n Joan. 16. 1. 32.

S. Spiritus Apostolos docebit.

Pura adhuc superesse dixit Christus, quae Apostolos doceret; silere autem, quod ipsi ferre tanta non possent; Spiritum, qui venturus esset, in omnem scientiam illos adducturum; quippe qui non ex se ipso locuturus esset, sed quae audiret, quaeque pariter ventura essent, annunciaturus. Ille, ait, me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. Enigma audire se reputabant Apostoli, secum verba illa versantes; Modicum &c. Quas eorum cogitationes intelligens Jesus praevenerit, dicens: Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Adducit similitudinem puerperae, quae foetum entens, ingemit; enixa vero matrem se intelligens, gaudet. Et vos igitur, ait, nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Questus est, nihil adhuc ab illis nomine suo a Patre postulatum; quarent, & acciperent; quod sincero plenoque gaudio potirentur. Professus est, se ad id usque in parabolis locutum, deinceps sine ambagibus locuturum. Exiit a Patre, adjecit, & veni in mundum: iterum relinquendo mundum, & vado ad Patrem. Loquentem interceperunt Discipuli; Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis; nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia a Deo exiisti. Respondit Jesus: Modo creditis? (o).

o Joan. 16. 12. 31.

Apostoli in obitu Christi scandalo afficientur.

Iterum resumpto sermone, praedixit Apostolis futurum, ut illa eadem nocte omnes scandalo sui gratia afficerentur; venisse jam horam, qua ipsis dispersis ipse solitarius relinqueretur, juxta fidem oraculi: Percutiam pastorem & dispergentur oves gregis. Postquam resurrexero, ait, praecedam vos in Galilaeam. In novissimo pressuram habebitis; sed confidite; ego vici mundum. Ad haec Petrus, se ait nullum passurum in Magistrum scandalum, & si omnes imbecillitatis ea occasione suae argumentum exhibitori fuissent; cui Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet bis, ter me negabis. Pervicacior in sua sententia Petrus, vel mortem ipsam se pro Christo toleraturum spondebat. Paria de se Apostoli quique affirmabant (p).

p Matt. 26. 31. 35. Marc. 14. 27. 31. Joan. 16. 32. 33.

Oratio Jesu Christi ad Patrem pro Apostolis.

Secundum haec, sublatis in Caelum oculis Jesus in haec verba oravit. Pater, venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Quos Filio tuo dedisti, illis vitam aeternam largiris rogo. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud te ipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Verba quae dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt, quia a te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti. Rogavit deinde, ut quandoquidem ipse a mundo decederet, illos servandos sibi susciperet, efficeretque, ut sint unum, ait, sicut & nos. Adjecit se quidem, quamdiu cum illis fuisset, unicuique curasse, ut fervarentur; nunc vero eodem in mundo conservare, atque a Daemonibus liberare, ejus esse curam; efficeret proinde ut a mundo non essent, quemadmodum ipse non fuisset; se enim ipsos mittere, quemadmodum missus esset a Patre. Rogavit insuper, non pro ipsis tantum, sed & pro ceteris, qui verba eorum auscultassent, ut ipsi nimirum sint unum, ait, sicut & nos unum sumus; sciretque mundus Filium a Patre missum fuisse. Adjecit: Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi; & hi cognoverunt, quia tu me misisti. Ego notum feci eis nomen tuum, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis (q).

q Joan. 17. 1. 26.

Jesus

Jesus ad montem Olivarum se confert.

Secundum haec, transgresso Cedron torrente ad Orientale latus Jerusalem, venit ad hortum in loco Gethsemani situm; quem & saepe alias, & tunc etiam cum Discipulis suis ingressus est; quare notissimus erat Judaei proditori locus. Ibi iussis Apostolis tamdiu subsistere, quamdiu preces absolvisset suas, procedentem cum Petro, Jacobo, & Joanne continuo tristis ad eum illam angorem invasit, ut ad eos Discipulos conversus, Tristis est, dixerit, anima mea usque ad mortem; monensque vigilare illos excubare, ne sopitis irreperet tentatio, ad lapidis jactum secedens, pronus in terram vultu procumbens, orationem exorsus est, Patrem rogans siquidem fieri posset, ut a se amarus ille calix transiret. Verumtamen, ait, non mea, sed tua voluntas fiat (r).

r Matt. 26. 36. 39. Marc. 14. 32. 36. Luc. 22. 40. 42. Joan. 18. 1. 2.

s Luc. 22. 43. 44.

Jesus in hortu preces fundit. Apostoli consopiuuntur.

Absoluta oratione, conveniens Apostolos Jesus, in somnum resolutos offendit; objurgatoque Petro, qui ne brevi quidem horula secum vigilare potuisset, surgere iussit omnes ad orationem, ne in tentationis discrimen venirent. Spiritus quidem, ait, promptus est, caro autem infirma. Secundum haec, iterum ad priorem orationis locum se conferens, eodem, quo prius, corporis habitu, eadem, quae antea, Patrem rogavit. Tum iterum ad Apostolos, quos alto ad soporem mersos nactus est, ut ne respondere quidem interroganti noscerent. Quare consuetae preces ad Patrem tertio instituit, tum demum ad Apostolos; quos ita affatus est: Dormite jam & requiescite: Surgite; ecce appropinquat qui me tradet (t); eamus in ejus occursum.

t Matt. 26. 40. 46. Marc. 14. 37. 42. Luc. 22. 45. 46.

Judas in hortum veniens, Jesum osculatur.

Magistri sui proditor Judas militum cohortem a Principibus Sacerdotum acceptam ad hortum, non sine armorum, facium, & laterum apparatu, (quamquam plena micante Luna) secum adduxit. Condidixerat antea cum militibus, ut quem ipse osculo exciperet virum, hunc Jesus esse nosset, statimque apprehensum dedacerent. Accedens ergo ad Jesum, salutantis prius amplexu ad osculandum excepit, haec simul amicum effatus: Ave Rabbi. Cui Jesus: Amice ad quid venisti? Osculo Filium hominis tradis? (u).

u Matt. 26. 47. 50. Marc. 14. 40. 45. Luc. 22. 46. 48.

Jesus verbo milites dejecit.

Recepit se statim Judas ad milites, & Jesus quae sibi imminabant omnia praenoscens, obviam illis venientibus accurrens, eequem quaererent, interrogavit. Respondentibus, quaerere se Jesum a Nazareth, Ego sum, ait; statimque in terram omnes dejecit sunt. Surgentes iterum, Jesus eadem interrogavit, eademque illis respondentibus, Dixi vobis, ait, quia ego sum. Si ergo me quaeritis, sinite hos (Apostolos nempe) abire (x).

x Joan. 18. 4. 9.

A militibus capitur.

Tunc procurrentes omnes in Jesum, apprehenderunt; statimque Petrus educto gladio in confertam turbam irruens, abscondit auriculam Malchi famuli Summi Sacerdotis. Ne ultra prosequeretur, obstruit Jesus; tangensque aurem praecisam, continuo restituit, Petro simul injungens, ut in vaginam enses reduceret; omnes enim, ait, qui gladio ferunt, gladio peribunt. Adjecit, potuisse se quidem plusquam 12. legiones Angelorum a Patre in sui defensionem impetrare, noluisse tamen, quod Scripturarum Oraculis sua fides constaret (y).

y Matt. 26. 50. 54. Mar. 14. 46. 47. Luc. 22. 49. 51. Joan. 18. 10. 11.

Versus dein ad turbas, Sacerdotes, Scribas, & Praefectos Templi, qui cum militibus venerant, Tanquam ad latronem, ait, existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in Templo, & non me tenuistis. Sed haec est hora vestra, & potestas tenbrarum. Continuo Apostoli, Magistro relicto, in diversa abierunt. Cum autem juvenis quidam amictus sindone super nudum illum sequeretur, apprehensus a militibus, relicto in eorum manibus amictu, nudus dilapsus est. Captus itaque alligatusque Jesus, adductus est continuo ad Annam Socerum Caipha Summi eo anno Sacerdotis, qui capiendi Jesu author fuerat Judaeis [2].

z Matt. 26. 55. 57. Marc. 14. 48. 53. Luc. 22. 51. 54. Joan. 18. 12. 13.

Simon Petrus in domum Summi Sacerdotis divertit.

Simon, & alius quidam de Discipulis Magistrum sequebantur a longe; & cum postremus iste Discipulus in domo Summi Sacerdotis notissimus esset, in atrium ingressus est, egressusque dein, una secum & Petrum praeforibus versantem introduxit. Cohors militum, qui Jesum deduxerat, igne in eodem atrio excitato, argenti brumae frigus depellebat; accessit pariter & Petrus (a).

a Joan. 18. 18. 18. Matt. 26. 58.

Je-

Jesus à Summo Sacerdote interrogatur.

Annas Summus Sacerdos de doctrina & Discipulis suis Jesum interrogavit; cui ille, nunquam se nisi in Templo & Synagogis, palam locutum, ejus rei testes auditores suos, eâ de re interrogandos, dixit. Ita respondentem quidam ex famulis Caipha ingenti in os ejus impacto colapho, itaque respondens Pontifici? objurgavit. Cui Jesus. Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cedis? (b)

b Joan. 18. 19. 23.

Ab Anna ad Caipham deducitur. Synedrio Sacerdotum statuitur.

Interrogatum Jesum Annas ad soferum suum Caipham, in eadem fortè domo commorantem, misit. Eò convenientes Principes Sacerdotum Scribar, & Doctores, idoneos adversus Jesum testes quærebant; & cum omnes eorum conatus frustra essent, plures licet, falsa contra ipsum deponentes audissent; duo tandem venerunt, accusantes, audivisse se virum jactantem, everfurum se Templum Dei, & intra tres dies restitutum. Sed capitale illud crimen minimè censebatur. Silebat Jesus ad eas cavillationes, & de silentio illo interrogante Summo Sacerdote, in silentio pariter perseveravit. Tunc Caiphas. Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. Affirmavit Jesus, adjecitque futurum, ut tandem viderent Filium hominis in dextera virtutis Dei, nubibus veſtum, venire ad judicium. Quibus auditis, Caiphas disruptis vestibus audisse se blasphemias, quæ damnando reo abundè sufficerent, conclamavit: conclamatum est pariter ab omnibus morte dignum esse virum, qui ista essutiret (a).

c Matt. 26. 59. 66. Marc. 14. 54. 64.

Jesus ludibrio militum permittitur. S. Petrus ter illum negat.

Dimisso cœtu, Jesus militum in atrio commorantium custodia pariter & licentia permittus est. Illi ludibrio hominem excipientes, ejus vultum lineis velabant, expuebant in faciem, cædebant colaphis pugnisque, atque insultantes distabant: Prophetiza nobis, quis est qui te percussit? Inter hæc, Petrus in eodem atrio versans, ad prunas stabat cum aliis; cum ancilla quædam Summi Sacerdotis virum intuita, Planè, ait, & hic cum Jesu Nazareno erat. Negavit Petrus, palam protestatus se ne hominem quidem nosse. Paulo post ex atrio egrediens, in vestibulum se contulit; statimque cantantem audivit gallum. Post modicum alia pariter ancilla idem, quod prior, de viro illo affirmavit; iterumque ipse jurans negavit. Post horam quidam è circumstantibus Disci-

pulum esse Jesu virum illum affirmavit; cui & ceteri omnes assenti, ex ipso loquentis sermone Galilæum esse probant. Tandem necessarius quidam Malchi illius, cuius præciderat Petrus auriculam, vidisse se illum in horto testatus est. Sed Petrus sacramentum ingeminans, ne nosse quidem se hominem protestabatur. Inter hæc accidit, ut secundò galli cantus audiretur, & Jesus ad Petrum conversus virum suspexit. Tunc ille in mentem revocans, quæ à Jesu audiverat, futurum nempe, ut ipsum, antequam gallus bis cantaret, ternâ negatione rejiceret, egressus ex atrio largo fletu crimen expiavit (d).

d Matt. 26. 67. 75. Marc. 14. 18. 65. 72. Luc. 22. 56. 63. Joan. 18. 25. 26.

Feriâ sextâ, mane 14. Nisan, 3. Aprilis. Sacerdotes in Sanhedrin conveniunt. Jesus ad Pilatum deducitur.

Primo diluculo Sacerdotes, Scribæ, & Doctores in Sanhedrin coeuntes, de nece Jesu Christi deliberarunt. Vincitum igitur coram concilio adductus, num Christum se diceret, interrogatus est. Respondit, sibi licet affirmanti non credituros; & quando ipse interrogaret, nec responsum ullum daturus, nec remissuros liberum. Ex hoc autem, adjecit, erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Conclamarunt omnes unâ voce, num Filium Dei se diceret? affirmantemque, dignum esse morte communi suffragio statuerunt, neque alios eâ de re testes audiendos. Solutio in hanc modum concilio, adductus est Jesus ad Pilatum, totius provincie Præsidem, quamvis ne contaminarentur & à degustando Paschare religione absterrentur, ipsi Prætorium ingredi non audent (e).

e Matt. 27. 1. 2. Marc. 15. 1. 2. Luc. 22. 66. 71.

Pœnitudo Juda, & desperatio.

Judas proditoris in Magistrum reus, morte damnatum illum intelligens, criminis pœnitudo ad Principes Sacerdotum & Scribas pecuniam acceptam retulit, peccasse se, innoxium virum neci tradens, protestatus. Responderunt illi nihil sua id referre. Sed Judas, projecto in Templum argento, abiit & laqueo sibi fauces præcidit. Deliberatum est inter Sacerdotes quid de pecunia illa fieret; & cum pretium sanguinis in Ararium Templi inferre nefas arbitrarentur, emendum eò pretio agrum figuli cujusdam in sepulturam peregrinorum, communi suffragio censuerunt (g).

g Matt. 27. 3. 10.

Sacerdotes Jesum accusant.

Raditum in manus Pilati Jesum, cum ejus Accusatores extra Prætorium se continerent, coram illis Præses eduxit. Dein quid accusationis in illum afferrent interrogans, cum respondentes audisset, nunquam se commissuros fuisse, ut neci tradendum virum infontem ad illum adducerent,

rent; ipse in eorum se manus reum permittere multandum pro arbitrio legisque præscripto dixit. Ad hæc Judæi: Nobis non licet interficere quemquam; ceterum addebant, hunc esse virum publice quietis perturbatorem, qui dari tributum Cæsari nefas esse doceret, seque Christum Regem Judæorum jactaret. Reductum igitur in Prætorium, assidens in Tribunali Pilatus interrogavit, an Rex esset Judæorum? Quæsitivus Jesus, num hæc à semetipso diceret, an aliorum verbis, & relatione. Cui Præses: Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi: quid fecisti? Exceptit Jesus, se aliud quàm hujus Mundi Regnum possidere; si enim regnaret in Mundo, subditos suos vitæ defensores adversus Judæos habiturum fuisse. Interrogavit itaque denudè Pilatus, num Rex esset. Affirmavit Jesus, venisse se in Mundum addens, ut testimonium perhiberet Veritati. Quid est veritas? ait Pilatus: simulque ad Judæos egressus, nil in eo viro morte dignum se deprehendisse protestatus est (b).

h Matt. 27. 11. Mar. 15. 2. Luc. 23. 2. 3. Jo. 18. 19. 38.

Jesus coram Pilato silet.

Ingeninabant accusationes in Jesum suas Principes Sacerdotum, quas ille silens patiebatur, ut mirari Præsidem vehementer contingeret. Quare iterum atque iterum elatâ voce accusatores seditiosum esse virum, turbasque per totam regionem à Galilæa usque Jerusalem cientem clamabant. Audito Galilæa nomine Pilatus, num Galilæus esset vir ille, interrogavit; auditoque ad Herodis ditionem pertinere, ab illo judicandum remisit (i).

i Matth. 27. 12. 13. Mar. 15. 4. 5. Luc. 23. 5. 6.

Ad Herodem mittitur.

Præclarum id sibi accidisse censebat Herodes, ut Jesum, quem longo jam tempore nosse concupierat, ad suum Tribunal ductum judicaret. Quare pluribus interrogationibus virum tentavit, sed frustra; silente Jesu ad omnia, quæ ejus adversarii in ipsum congerebant. Contemptit proinde Jesum Herodes, ejusque satellites, indutumque veste purpureâ, quasi Regiæ ejus dignitati insultantes, atque exutum deinde ad Pilatum remiserunt. Ex quo mutua ad id usque inter Pilatum, & Herodem similitati terminus impostus est (k).

k Luc. 23. 8. 12.

Pilatus de cavillationibus Judæorum in Jesum certior factus est.

EO temporis intervallo odium Judæorum adversus Jesum Pilatus reseverat: admoneretur etiam, ut innoxium virum dimitteret, à conjuge, quæ ejus occasione horrendis quibusdam insomniis molestam eam noctem sese egisse narrabat (l). Quare tertio è Prætorio egressus, Je-

l Matt. 27. 19.

sum pariter eduxit, protestatusque nihil se morte dignum in illo deprehendisse, eademque pariter Herodem censuisse, quippe qui indemnem remiserat; emendatumque se remissurum proposuit (m).

m Luc. 23. 21. 16.

Barabbas Jesu præfertur.

Privilegium datum erat Judæis, ut in solemnitate Paschali cujuscumque malient criminosis hominis è carceribus publicis libertatem obtinerent. Vincitum eo tempore detinebatur Barabbas vir facinorosus, & homicidii in seditione facti reus. Quæsitivus ergo Pilatus, utrum è vinculis educi maluissent, Barabbam ne, an Jesum? Populus, agentibus Sacerdotibus & Scribis, Barabbæ libertatem, Jesu verò necem postulavit. Eadem Pilatus iterum interrogavit, eademque responsione spe suâ frustratus est. Rogavit igitur Præses, quid ergo fieret de Rege Judæorum? & cum illi ad crucem postularent, quæsitivus iterum, cujus criminis reus ageretur; se etenim, nullum in eo deprehendisse: quare post severam animadversionem dimissurum. Non acquievit populus, sed iterum ad crucem quasi reum postulavit (n).

n Matt. 27. 15. 23. Marc. 15. 6. 13. Luc. 23. 18. 23.

Pilatus flagellandum Jesum tradit.

Tunc flagris in Jesum animadvertendum Pilatus edixit, cui milites tormento de suo addiderunt spineam quandam coronam capiti ejus impositam, inducsto insuper purpureo vestimento, illudendi hominis gratiâ. Ita verò paludato alapas impingebant & colaphos, dicentibus: Prophetiza nobis, quis est qui te percussit? Secundum, hæc ducitur iterum Jesus à Præsede coram populo, ut eo spectaculo permotus, tandem consilia mitiora non respuat. Sed ille fortius invalescens, ad crucem virum postulabat. Accipere se illum & pro arbitrio habere Pilatus proposuit; se etenim nullius criminis reum nunquam capitali supplicio damnaturum. Tunc Judæi dignum esse morte clamarunt, juxta receptas apud ipsos leges, quippe qui Filium se Dei venditaret. His populi clamoribus permotus Judex, recipiens se iterum in Prætorium, & pro tribunali sedens, novam ad Jesum quæstionem instituit. Interrogavit ergo primum, cujas esset; & cum sileret ad ista Jesus, Non mihi respondes? ait: an nescis vitam mortemque tuam in mea sitam esse potestate? Tunc Jesus: Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi data esset de super; propterea qui me tradidit tibi, major peccatum habet (o).

o Joan. 19. 1. 12.

Clamores populi in Jesum. Pilatus ad crucem damnat.

Nullum non movebat lapidem Pilatus ut Jesum liberaret; sed obstantes Judæi, atque ad necem urgentes, reluc-